

Quarta via est cause ^{a)} finalis, secundum quam sic arguitur: quando-cumque alique due facultates ita se habent, quod una ordinatur ad aliam sicut ad finem, ille qui principatur in facultate ^{b)}, que est finis ^{c)}, principatur etiam in facultate ^{b)}, que est ad finem ^{c)}. Ista regula confirmatur ^{d)} sive ^{d)} declaratur sic ^{e)}: primo in mecanicis, ubi quia frene-factiva ^{f)} ars ^{g)} ordinatur ad equestrem sicut ad finem, idcirco princeps frenorum ^{h)} debet subesse principi equorum, cum non sit ⁱ⁾ nisi propter ipsum inquantum talis ²¹⁾. Secundo in politicis, ubi ^{k)} quia facultas equestris ordinatur ad militarem sicut ad finem, ideo princeps equorum debet esse subiectus principi militum. Tertio in phisicis, in quibus corpora animata ^{l)} non sunt nisi propter animas, et ideo oportet, quod membrum quod principatur in corpore ut pote capud subiciatur vir-tuti, que principatur in anima ut puta rationi. Quarto in ierarchicis ^{m)}, ubi quia status ecclesie militantis ordinatur ad statum ecclesie trium-phantis sicut ad finem, oportet ut princeps militantis ecclesie sit sub-iectus principi ecclesie ⁿ⁾ triumphantis. Et ista regula sic quadrupliciter ^{o)} declarata accipitur minor sub ipsa. Set totus ordo et facultas rerum temporalium est ^{p)} ordinatus ad facultatem et ordinem rerum spiritua-lium ^{p)} sicut ad finem, cum corporalia sint propter spiritualia se-cundum ^{q)} apostolum ^{21a)} et Augustinum ^{q)}. Ergo princeps temporalium principi spiritualium debet esse subiectus.

(III) Dicunt quidem istam rationem solvere satagentes, quod ista ratio bene evidenter concludit ^{r)}, quod princeps temporalium debet esse subiectus principi spiritualium in spiritualibus, non tamen in temporalibus. Istud autem dictum fortificat rationem, quod patet de-ducendo ^{s)} rationem sic. Quandocumque aliqua facultas ordinatur ad aliam sicut ad finem, ille qui principatur in eo, quod est ad finem,

a) causa P 2. b) facultatem P 1. c) statt finis — ad finem: ad finem, debet subesse illi, que principatur in facultate, que est finis P 2.
d) fehlt P 1. e) fehlt P 2. f) prenestiva P 2. g) fehlt P 1.
h) futurorum mit übergeschriebenem e P 2. i) fehlt P 1. k) oportet P 2.
l) anime P 1. m) in ierarchiis sive in ierarchicis P 1. n) fehlt P 1.
o) fehlt P 2. p) est — spir. fehlt P 2. q) sec. — Aug. fehlt P 2.
r) contradicit P 2. s) reducendo P 2.

²¹⁾ Das Beispiel stammt aus der Nikomachischen Ethik 1, 1, 1094 a. Vgl. dazu den Kommentar des Thomas a. a. O. S. 6 Nr. 16: sicut ars quae facit frena est sub arte equitandi, quia ille qui debet equitare praecipit artifice qualiter faciat frenum.

^{21a)} Gedacht ist vielleicht an die unten S. 129 zitierte Stelle 1. Kor. 15, 44 ff.